

dote. Et haec iterum vel *publica* est, quae satisfactione continetur, vel *privata*. Haec de quo vel *generalis*, vel *specialis* est, quae et auricularis vocatur, quia fit clanculum ad aurem sacerdotis. Illam utilem esse et in Ecclesia nostra merito retineri, *probat*

I. *Ex utilitate respectu sacerdotis.* Hic enim ex eadem veram hominis peccatoris contritionem facilius colligere, deque ea certus esse, peccatoremque contritum solatio erigere rectius potest. Aut si nouerit, eundem serio non poenitere, informatione sua et admonitione in veriorrem viam deducere potest.

II. *Ex fructu ex privata hac confessione ad ipsum confitentem redundante.* Is enim in ea occasionem habet effundendi suas necessitates et vel informationem vel solatium conditioni suae idoneum petendi.

III. *Ex utilitate ad ipsam Ecclesiam redundante.* Ea enim isthoc facto certior redditur, neminem ad usum tantorum mysteriorum, nisi dignum et legitime praeparatum admitti, quo pacto ad maiorem venerationem Sacramento habendam incitatur.

§. II. Pontificii, vt supra audiui-  
mus, statuunt *confessionem auricularem*,  
seu, quod idem est, particularissimam  
omnium peccatorum commissorum,  
quotquot vnquam instituto accurato exa-  
mine memoriae occurrere possunt, enu-  
merationem ad essentiam poeniten-  
tia

Cont. Pon-  
tif. Con-  
fessionem  
auricula-  
rem.